



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum  
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1614**

Med. 36. De Coronatione, & cæteris opprobriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

*festum fuerit fluxus sanguinis, & o quicumque  
 vos tangebant, salui fiebant; sanate nunc vulne-  
 ra mei Saluatoris, & sistite sanguinis eius flu-  
 xum: vt vires ei suppetant, ad nostram redem-  
 ptionem, ad finem vsq; perducendam. O vti-  
 nam presens adfuissem, vt ei ministrarem!  
 quamuis ad eius leuamen, proprium meum  
 sanguinem effundere opus fuisset: accipe ta-  
 men nunc Deus meus bonam hanc volunta-  
 tem, quam mihi dedisti, illamque ita cor-  
 roborata, vt quaecunque potero, in tuum sem-  
 per obsequium praestem: desiderando, mul-  
 to etiam plura, quam praestare possim, ef-  
 ficere.*

o Marc. 14.  
36.

MEDITATIO XXXVI.

DE CORONATIONE SPI-  
 NEA, & ceteris irrisionibus,  
 quae secuta sunt.

PUNCTVM I.



ILITES, qui Christum ver-  
 berauerant, à Dæmone in-  
 stigati, nouum aliud tor-  
 mentorum genus adinue-  
 nerunt, quo non minus do-  
 loris inferrent, quam adfer-

bb s rent

rent ignominia, quæ ut maior esset, totam cohortem, siue milites ad custodiam deputatos, conuocarunt, ut spectaculo huic & ludibrio, quod Christo Domino, in eius honoris & quietis detrimentum inferre statuerant, adessent, qui omnes libenter adfuerunt, tempus fallendi gratia.

I.

CIRCA quod factum, perpendam in primis insatiabile Christi Domini, pro nobis patiens desiderium: ex eo enim prouenit, ut uoluerit, excogitari aduersum se, novos iniuriarum & tormentorum modos; nec esset contentus communibus & ordinariis; ut hac ratione magis amorem suum erga nos patefaceret, & peccatorum nostrorum grauitatem ostenderet. Sicut enim homines, ab amore proprio agitati, in quos semper modos inueniunt propriæ voluptatis & honoris intuitu, Deum offendendi: ita Christus à diuino suo amore actus, uoluit excogitari & adinueniri novos suppliciorum modos, contra talia hominum peccata, & rationes nouas, sanguinem suum effundendi; ut pro eisdem satisfaceret: qualis illa fuit, qua in horto sanguinem sudauit. Gratias tibi ô dulcissime IESU, ob hanc charitatis tuæ excellentiam, qua nos dilexisti: optimè tibi conuenit nomen IUSTI, qui tot modos excogitas & inuenis, ut iniusticiam promerearis, qua nos iustos efficias. Ex animo tibi congratulor, ob huiusmodi amoris adinventiones, ideoque tibi, qui eminenter es IUSTVS. dicam cum Propheeta ESAIA:

Isaia 3. 10.

quantum

quoniam fructum adinventionum tuarum comedes, dum per illas innumeras animas conquires & lucraberis.

## II.

DEINDE iniquitas illorum carnificum est expendenda, qui Satanæ instinctu, tantam hominum turbam conuocarunt, vt Christo illuderent, & eius ludibriis interessent; & simul compassione ducar, ob tantam huius Domini humiliationem, quæ eò peruenerit, vt esset hominum risus: detestabor verò eos, qui alios, ad offendendum ipsum Christum, & eius opera irridenda inducunt; ego verò, Saluator mi, cupio tanto huic spectaculo spiritu interesse, non ad te irridendum sicut milites: sed ad opera tua meditanda, & vt tuas adinventiones exactiùs perpendens, tum ad tuorum dolorum compassionem, tum ad propriorum tolerantiam permouear. Hoc spiritu considerandi sunt mihi labores, & cruciatus, quos Christus Dominus post verbera, in eodem Prætorij atrio sustinuit, qui ad sex referri possunt, qui sibi ordine successerunt.

## PUNCTVM II.

## I.

PRIMA iniuria Christo post flagellationem illata, fuit, quòd sacris eius vestibus a eum exuerint, est autem fas credere, quoniam hoc milites intendebant, vt tota turba vulneratum eius corpus videret: eum etiam tunica inconsutili exuisse, nudumque omninò

a Matt. 27.  
28.

omnino constituisse: ex quo & maximum do-  
lorem, & insignem ignominiam ille susti-  
nit: dolorem quidem, quia iam vestes con-  
adhæserant, ob recentem sanguinem, qui flu-  
ebat cum illas post flagellationem induit:  
item quia de militum crudelitate facile præ-  
sumi potest, quod violenter, & nulla cæci-  
compassione, vestes abstulerint: Ignominia  
ipsa fuit etiam magna, quod in tot militum  
conspicere, se omnino nudum conspiceret,  
vt in meditatione proxima etiam perpende-  
mus.

## II.

HVIC iniuriæ SECUNDA successit. Nam

b Matt. 27.  
28.

b *chlamydem coccineam* siue *purpuream ves-*  
*tem circumdederunt ei:* quæ vestis talaria-

c Marc. 15. 16

rat & propria aliàs Regum; sed Christo eam

c Ioan. 19. 2.

circumdederunt, vt illi illuderent, & fal-  
sum fictumque Regem notarent. Quod tunc  
que mundus honoris loco habebat, id in  
Christi ludibrium conuertit; vt spectaculum  
quoddam, siue comicam Regis actionem,  
eo exhiberet. O animarum Sponse, de quo

d Cant. 5. 10.

Sponsa dixit: *dilectus meus candidus & rubi-*  
*cundus, electus ex millibus*, propensissimum et  
video ad hos colores, non intuitu honoris,  
sed opprobrij & contumeliæ: in Palatio  
quidem Herodis, veste alba indutus fuisti; ap-  
ud Pilatum, purpurea: his tuis opprobriis,  
nobis promerendo innocentia candorem, &  
purpuram charitatis. Adiuua me Domine, vt  
hæc tua insignia, & ignominiosam purpuram  
semper magni faciam, ignominiam reputam.

quid

quidquid mundus honorem æstimat ; honorem verò iudicans, quidquid ille reputat ignominiam.

DE NIQVE considerare possum, talarem hanc purpuram significare sanguinea nostra peccata, quæ ipsi Christo fecerunt imposita ; quæ magis illum premebant, & maiori ignominia afficiebant, quàm fuerit huius purpuræ ignominia. Præcipuè verò eadem purpura significabat ea opera, quæ in specie quidem, bona & eximia apparent, in conspectu verò Dei, impia sunt & detestanda, propter intentionem huius mundi, quem qui illa faciunt, inveniuntur, ideoque quibus operibus, Christum Dominum honorare debuimus eisdem contemnimus & irridemus. O Deus animæ meæ, ne permittas, vt tali te veste induam : nec prome eam accipiam : quod si purpura sit mihi quærenda, ea sit ignita & *charitatis* quæ *1. Pet. 4. 8.* operiam turpitudinem, & *multitudinem peccatorum* meorum, vt diuinis tuis oculis placeam, Amen.

## PUNCTVM III.

TERTIA fuit iniuria, quod a *plectentes a Matt. 27.* coronam de spinis, posuerunt super caput *29.* eius, non auream, aut argenteam, aut è *Ioan. 19. 2.* rosis aut floribus contextam, sed acutissimis spinis imposuerunt ; quæ totum caput occupabat : quam cum valdè furiosè, & impetu magno

magno imponerent, spinæ eius sacrum caput ex omni parte, ita pupugerunt, vt ex vulneribus magna sanguinis copia effluerit.

I.

CIRCA hanc coronam, consideranda est primò ignominia huius coronationis, & ingens eius dolor, cuius vtriusque corona hanc fuit instrumentum, imposuerunt enim eam ad illusionem, loco eius quam Regibus, & in qui triumphum de suis hostibus agunt: & in quos vt deos venerabantur, imponere conuerserunt: vt hac ratione ostenderent, in his tribus, dignum esse Christum, cui illuderetur: erat enim Regulus & fictus Deus, & proxime delatus ei triumphus, fuerat inanis. Sed talis fuit irrisio, vt simul crudeliter cruciaret. Nam quoniam spinæ plurimæ erant, & acutissimæ, caput lacerabant, & sanguinem extrahebant, quem verbera reliquerant in nobilissima totius corporis parte: fluensque per oculos & faciem, illam offuscabat, & deturpabat, ipsum verò sacrum caput frontemque grauiissimo dolore cruciabat.

h Cant. 3. 11.

VRGE itaq; anima mea, & spiritu begredere, & sicut vna ex filiabus Sion, vide verum hunc Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit illum mater sua, aut potius nouerca Synagoga, ornans illum in diem desponsationis illius, quam in crucis thalamo, paulò post erit celebraturus.

o Psal. 8. 5.

ORex æterne, qui c gloria & honore conasti hominem, & omnia subiecisti sub pedibus meis, tanquam eorum Regis, quomodo tu co-

roa-

ronatus nunc es ab hominibus, ignominia corona, & doloris! O ingratitude, & inhumanam hominum aduersus DEVM, feritatem! O ineffabilem DEI aduersus homines mansuetudinem & bonitatem! DEVS illos gloria coronat, ipsi illum ignominia: ille misericordiarum suarum magnitudine, illi feritate crudelitarum! Quomodo, igitur anima mea, istæ spinæ cor tuum non pungunt? Quomodo non copiosam aquam, ex capite tuo, & fontem lacrymarum, ex tuis oculis non educunt, cum videas, talibus spinis punctum Regem cælorum, vt æterni regni coronam tibi promeretur. O verè Rex Salomon, qui ad celebrandum cum animabus, desponsationem, spinis coronaris, meam quæso eisdem spinis corona, quo talis desponsationis particeps esse merear. O sacra IESV corona, quamuis mundo sis tremenda, ego tamen te & reuereor & adoro, tæquam DEI mei coronam. O sacratissimæ spinæ, si & ego cuspidibus vestris punctus fuissim: vt vulnera, quæ in illo capite fecistis, medelam meis vulneribus adferrent.

## II.

DEINDE meorum peccatorum grauitatem perpendam, præcipuè superbiz, & sensuum voluptatis, quæ tremenda huius coronationis causa fuerunt. Illa enim spinæ fuerunt, quæ venerandum illud caput, grauius multò pupugerunt atque torserunt, quàm illæ aliz. Nam quia ego d *rosis*, & floribus me coronauis, vt d *Sap. 2. 8.* meas delicias quærerem, coronatus est.



c Isaia 28. 1.

est meus Saluator spinarum corona: quia ego  
 e coronam *superbia* quero, vanos honores ambiendo: vult Dominus meus, humiliacionis coronam, cum ingenti dedecore, sibi accipere. Eia igitur, anima mea, accipe omnia peccata tua, quæ sunt spinæ pungentes Redemptorem tuum, & pænitiæ, sensuumque mortificationis, spinis, cor tuum punget: propterea, quod illa admiseris: & quando quidem tuum caput, quod Christus est, spinis coronatur; pudeat te eius corporis membrum, floribus coronari, vitam tuam in deliciis & vanitatibus ducens.

III.

TERTIO, mysterium coronæ huius, Christi capiti infixæ, perpendam: quæ est ex meritis te tortorum, in opprobrium & cruciatum fuit imposita: tamen significabat ipsum Christum esse Regem æternum: & regnum eius cœlestans: & ipsam coronam firmam; non vt corona Regum terræ, quæ vt facillè imponitur, ita facillè remouetur: & similiter, quod ipse esset victor & triumphator perperuus, contra demones & infernum, contra mundum & carnem: quamuis propterea sanguinem suum fuderit, ea corona extractum, qua suis electis innumeras victoriarum coronas promeruerunt, quas illi tum in hac vita, tum in cœlo postea erant consecuturi.

IV.

HÆC ratione, docet nos ipse, cœlestem coronam, spinea corona obtineri: & porro, postulare coronam laborum & afflictionum, quæ pungunt, in hac vita amplecti, quam cœlestem

nam deliciarum & voluptatum, quæ delectât.  
 Si enim in hac vita, sicut alij huius mundi ho-  
 mines, me rosis coronem, quærens delicias &  
 vanitates, postea *f. conuersus in arumna mea* *f. sal. 31. 4.*  
*configar spinis* meorum peccatorum, & con-  
 scientiæ remorsibus: vt possibile non sit, eas e-  
 uellere. Gratias tibi, ô Rex supreme, victor  
 gloriose, & triumphator perpetue, ob hanc  
 rationem quam elegisti ad coronam & trium-  
 phum tuæ gloriæ obtinendum. Ex nunc ad te  
 sequendum me offero, ac præfero coronari  
 me spinis in hac vita, vt postea gloriæ coro-  
 nam obtineam in futura.

## PUNCTVM IV.

**I**MPOSITA capiti eius spinea corona, a *a Matt. 27.*  
*arundinem quoque in dextera eius* posuerunt *29.*  
 loco sceptri regij, hoc significare volen-  
 tes, quod eius regnum, esset inane, absque  
 substantia, & ipse Rex, iocularis, & mobilis  
 instar arundinis, mentis inops, quod se vellet  
 Regem appellari, & in contemptum palma-  
 rum & ramorum aliarum arborum, quos tur-  
 ba gestabat, cum eius triumphum nuperrime  
 in Ierosolymitano eius ingressu solemnizaret.

CIRCA hanc iniuriam perpendam, quàm  
 parui mundus faciat regnum Christi; & eius  
 doctrinam ac perfectionem, quam ille prædi-  
 cabat; omnia iudicans vana esse, & nullius  
 momenti: quanta verò ipse Christus humili-

I.

tate, hanc iniuriam sustinuerit, non enim arundinem accipere recusavit, non statim illam abiecit, sed manu sua sacratissima illam accipiens, fortiter compressit, tanquam sui contemptus insigne; quia hunc ipse maxime amabat. Eo facto me docens, eundem contemptum acceptare, & amore magno complecti. O arundo venerande! ò Domini meum diuinum sceptrum! de cuius manu, virtutem accipis, ad vitam omnibus, quos tetigeris, impertiendam, efficacius multò, quam fuerit *Virga illa aurea, quam Rex Assuerus extendebat. pro signo clementiæ, ad eos, qui ad se accederent, vt viuere possent.* Extende ergo, Rex meus, regiam hanc tuam virgam & tange cor meum, magnam ei imprimens tuorum contemptuum æstimationem: talis enim contactus, erit mihi clementiæ tuæ signum, & pignus æternæ vitæ.

b *Hester. 4.*  
ii.

c *Isa. 36. 6.*

d *Mal. 3. 34.*

Ex quo etiam intelligam, quàm grauius hominum errent iudicia, qui ex auro solido sceptrum sibi accipiunt; in signum excellentiæ & stabilitatis regni sui, cum sit reuerentia *baculus arundineus qui velociter transit, & cum si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius & perforabit eam.* Cum contra dicant: *bonus est qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiimus præcepta eius?* Et hinc discam aberrantia huiusmodi iudicia nihili facere; ac propterea nunquam sequi.

II.

e *Matt. 27.*

Mox aliam iniuriam addiderunt. Nam *e genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes:*

*Aue Rex Iudaorum*: Quæ salutatio, etsi honorifica, quia tamen illusionis intentione fiebat, afflictissimi huius Domini aures torquebat, qui in cœlis laudes audit Angelorû, nostrisq; orationibus exaudiendis valdè recreatur. O Rex supreme, quàm aliter ab Angelis in cœlo adoraris, quàm ab hominibus in terra! Angeli enim tanquam Deum, verumq; Regem solum adorant: homines verò, adoratione ficta tibi illudunt, tanquam Deo falso & ficto Regi! Ego te Domine adoro, & ex toto cordo meo salutans, dico: *Aue Rex Iudaorum*, & simul Gentium: *auē REX ANGELORVM* & hominum: *Aue Rex cœli & terræ*: Salua me, quies Rex vniuersorum, meque in Regnum tuum admitte, vt te fruar in æternum, Amen.

29. Marc. 15.  
18. Iohan. 19. 3

LICET etiam perpendere, bis fuisse CHRISTVM Dominum nostrum in sua Passione salutatum: semel quidem secreta fictione & hypocrisis, cum dixit ei Iudas: *f Aue Rabbi*: iterû verò publica fictione: vt hic, cum ad illudendum milites genu flexu dixerunt: *Aue Rex Iudaorum*. In quo duplex genus peccatorum indicatur, qui DEVM offendunt. Alij enim hypocritæ sunt, qui fingentes se DEVM amare ac reuereri, re ipsa tamen nec amant, nec reuerentur: alij verò non hypocritæ sunt, sed publicè aliis sunt scandalo, dum res sacras & diuinas publicè irrident, & contemnunt, & pro vtrisque patitur Christus, vt omnibus adferat salutem. Nec mysterio caret, quod

f. Mat. 26. 50

g Mar. 15. 19. Euangelista dixit *genu flexo* & adorabant eum, & non dixit *genuo flexu*, ut significaret huius mundi homines, non se totos Deo tradere, sed partem vnam Deo, alteram mundo dare: ideoque vno genu honorem suum, delicias, & facultates terrenas adorant, altero tantum Deum. Sed hæc adoratio parum illi prodest, quia Deus non dimidiato corde, sed integro, vult sibi seruire.

## PUNCTVM V.

**V**ERBIS iniurijs, addebant milites etiam opere, alias iniurias, quæ dolorem adferrent & ignominiam. Nam alij *accipiebant arundinem, & percutiebant caput eius*, spinas ipsas sic amplius capiti infigentes. Alij *b alapas illi dabant*: Alij *c expuebant* in eum: faciem eius, sputis suis stomachum & horrorem mouentibus, defœdantes.

HOC triplex genus iniuriarum referunt Euang. listæ. Est verò fas credere, alios pulsasse pugnis faciem, & pedibus alias corporis partes; alios verò capillos & e barbâ pilos extraxisse; ut in domo Pilati, similia pro Gentibus pateretur iis, quæ apud Caipham passus fuerat pro Iudæis. Solum Gentiles, a velandâ eius facie abstinuerunt; quia eum tractabant tanquam Regem, licet fictum, & comicum: & quoniam eius facies valdè defœdata, non iam præferbat illam maiestatem, ut respectum & timorem illis adferret, ne etiam aper-

te il-

tè illum percuterent, & expuerent. O mundi Saluator, quoties tuæ iniuriæ repetuntur, quoties dura tua tormenta iterantur! Suffecisset, Domine, semel fuisse colaphizatum, consputum, & pro nostris peccatis pulsatum sed charitas tua vult iterata hæc tormenta sustinere, à Iudæis & gentibus; vt ab omnibus cruciatus, pro omnibus satisfacias; & pro omnibus misericordiam obtineas, omnes te, Domine, benedicant: & pro tanta tua charitate tibi dent gloriam: quandoquidem verò pro omnibus pateris, omnes quoque tuæ passionis fructum consequantur, Amen.

In singulis hisce iniuriis perpendere licet, quæ supra *meditat.* 30. sunt notata, iniuriam præcipuè Christi patientiam, & humilitatem in eis tolerandis, etiam si illæ fuerint innumera: sed quod plurimi essent milites, qui illas infererent: & facile credi possit, sæpius illas eperuisse: vt vel ita tempus fallerent, vel hoc solatio, iniurias ei inferendi oblectarentur; qui eisdem sustinendis maxime oblectantur, vt vitam & salutem eisdem promeretur, à quibus illas tolerabat.

TANDEM considerabo, quam defatigatus & afflictus remanserit Christus ipse Dominus noster, ex hisce ludicris tormentis: quam fuerit eius caput debilitatum, ob sanguinis copiam, quem per vulnera spinarum effundebat: quam deformatus venerandus ille vultus, tum sanguineis maculis, tum sputorum multitudine: quam liuidus ex impactis ei colaphis.

PERPENDAM etiã, nemisem ibi  
 fuisse, qui in tantis afflictionibus constituto,  
 compateretur, aut verbum pro illo loqueretur:  
 aut ferã illius gentis furiam reprimeret:  
 donec ipsi cruciando sunt defatigati. Quã-  
 uis non fuerit defatigatus ipsius patientissimi  
 IESV, sed potiùs ad noua tormenta, quã il-  
 lum expectabant, sese præpararet. Quare ra-  
 tionì consonum est, vt ego non defatiger, ne  
 desistam à lachrymis, ad eius pedes, pro eius  
 laboribus, fundendis, & pro meis peccatis,  
 quã eorum causã fuerunt, & adorans illum,  
 adoratione vera, petam gratias, tanquam à  
 Rege vero: Et quidem non alias, quã vt me  
 contemptuum & dolorum suorum partici-  
 pem faciat: & simul, vt humilitatem pa-  
 tientiam, & charitatem in eis to-  
 lerandis mihi concedat, quam  
 ipse in eis osten-  
 dit.

